...nes,

(Dziedzic Ioannis Rosae Brosciana...

ROSÆ BROSCIANÆ

JN

Spatioso D. IAGELONIS campo natæ,

JNCLYTÆ DOMVS GEMBICIANÆ

FASCIIS obuolutæ,

Peraugusti Capituli Cracouien. Coronis exornatæ,

Solis Iustitiæ CHRISTI *vigore maturæ,*

Anno proximè elapso

Furente MORTIS Falce succisæ.

QVAS

Ad Anniuersariam ILLVSTRIS & Adm. Rndi. Dni.

D. JOANNIS BROSCIJ

Sac. Theol. & Medicinæ Doctoris.

Jn Alma Academia Cracouiensi Professoris, Canonici Cracouien: Præpositi Stasouiensis, Parochi Medirecensis, &c,

DIEM

Jn Ædibus D. ANNÆ, *Sacro Deposito B.* IOANNIS CANTII *Claris.*

M. JOANNES DZIEDZIC, Collegij Vladislauiani Rhet. Professor. Stylo & Spiritu animatas suo fecit exhalare.

ANNO DOMINI,

ManDas, & reseCant, ah LIbItIna rosas.

CRACOVIÆ,

Apud LVCAM KVPISZ, S. R. M. Typographum.



Vt Iageloniacos inuiſit BROSCIVS hortos
Pallas ei tribuit nobile Stemma ROSAS.
FASCIA GEMBICII noceant ne frigora, cingit:
Myſtarum Cydari condecoratq; chorus.
GEMBICII Vittæ iam, iamq́, valete Coronæ
Quas VOS fouiſtis SOL fouet ipſe ROSAS.

Nicolaus BROSCIVS Curzelouien. Scholæ Rhet. Studioſus

Jllustrissimis Ac Reuerendissimis Dominis, Dñis.

PETRO, CRACOV: DVCI SEVERIÆ.
ANDREÆ, LVCEORIEN: & BRESTEN:
IOANNI, CVLMENSI & POMESANIÆ.
GEMBICIIS
GERMANIS FRATRIBVS.

DEI GRATIÁ, Summi in terris CHRISTI Vicarij Auctoritate, Regum Poloniæ Iudicijs, Generis, Virtutum, Meritorumq; suorum splendore.

PRÆSVLIBVS ac Mæcenatibus Amplissimis.

S. P. P.

T*RES* ROSAS BROSCIANAS *quibus feralem ipsius tumbam in Anniuersaria exequiarum pompa conspersi non aliis nisi vobis tribus offerendas esse iudicaui.* ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI PRÆSVLES. *Quantumcunq; enim vel hîc apud nos Sarmatas, exteras vel apud gentes odoris virtutum, atq; doctrinarum sparserunt: quantumcunq; in* ECCLESIA ROMANA, *in* SCHOLA IAGELONIANA, *inq; vniuersa* POLONIA *floruerunt; hoc totum ex* VESTRIS GENTILITIIS FASCIIS, *quibus illigatæ erant abundè hauserunt. Jllas primum* ILLVSTRISSIMVS ac REVERENDISSIMVS LAVRENTIVS GĘMBICKI, GNESNENSIS ARCHIEPISCOPVS, REGNI PRIMAS PRIMVSq; PRINCEPS, *splendidissimum Ecclesiæ Lumen vester Patruus immortali vitâ dignissimus, in Hippocratis & Galeni hortos inseruit; vberrimo beneficentiæ liberalita-*

tisq́; suæ rore, raro sed imitando omnibus exemplo, irrigauit, & erexit. Vos verò ILLVSTRISSIMI PRÆSVLES, *è quorum vita rerumq́; felici successu gestimus lætitiâ, quàm istas* ROSAS *vestris* FASCIIS *complexi, fueritis*, MITRISq́; *tutati, omnibus perspicuum. Tu* PRINCEPS ILLVSTRISSIME, *easdem quantùm foueris præsens suspexit ætas, & nuntia vetustatis loquetur historia. Qui inter cætera, hoc maximum præstitisti, vt eas publicè ad sacros Cineres nostri* B. PATRIARCHÆ CANTIJ *Doctorali Tiarâ cæterisq́; insignibus coronares. Neq́;* TV ILLVSTRISSIME LVCEORIEN. PRÆSVL *minoribus istas* ROSAS, *Tuæ beneficentiæ fauoribus cumulasti; dum ab æstu nimio & procellis eas vario turbine impetentibus protexeris, earumq́; odore saluberrimo tam priuatim, quàm publicè; tam in Tuo quàm in totius Diœcesis Tuæ curando corpore apprimè vsus fueris. Maioribus fortasses Tuæ beneuolẽtiæ quàm expertæ erãt, cùm in Curia Magni Secretarij fungereris munere Fauonijs,* ILLVSTRISSIME PRÆSVL CVLMEN. *iam senectute rigentes afflauisses; nisi & Tibi vlteriùs occasionem fouendi eas; & illis edax rerum omnium tempus fortunam inuidisset. Quare accipite has ab inexpleto, & nunquam saturo Nouembri frigore constrictas, & extinctas* BROSCIANAS ROSAS. *Vestræ sunt,* VESTRARVM FASCIARVM *fauoribus inuolutæ, promotæ, protectæ in media etiam hyeme, suauissimum spirabunt odorem: quas vnà mecum, simulq́; (quod eædem ipsæ ore* BROSCIANO *quondam ab* ILLVSTRISSIMO PATRVO VESTRO *obnixè postulabant)* ACADEMIAM *bonarum Artium per totam* SARMATIAM, MATREM *fouete, promouete, defendite.* DEVS O. M. VESTRAS CELSITVDINES *diu seruet incolumes. Datum ipsis Martinalibus è Collegio* VLADISLAVIANO CRACOVIÆ.

Vestrarum Illustrissimarum & Reuerendissimarum
Celsitudinum Fidele Mancipium,
M. JOANNES DZIEDZIC, Rhet: Professor.



FVNESTVM MARTIS & MORTIS SPECTACVLVM.

IN QVO

Jlle Fortes gladio, hæc falce Doctos veluti Roſas lectiſſimas demeſſuit, demetitq; Sarmatas.

CEminum duorum in Polonæ gentis excidium, coniuratorum Tyrannorum MARTIS & MORTIS, hoc in deterius ruenti ſæculo, non tàm placuit, quàm arcanâ quadam fatorum vi adactis nobis neceſſe fuit ſpectare ſpectaculum. Quorum ille in vniuerſa Ruſſia, ceû in ſpatio-

ſo aliquo, & ad ſpectandum omnibus exporrecto theatro funeſtæ ſuæ tragœdiæ, Duces, Milites, veteranos, tyrones, alioſq; ſtatus & ſexus diuerſi homines Actores habuit: dum perduellium Coſacorum, & barbarorum Scytharum ſuccinctus legionibus, lectiſſimum exercitus Polonici florem enſe demeſſuit: Hæc verò plurimis ſtipata malis, doloribus & ærumnis quaſi Militibus & ſtipendiarijs inſtructa, indiſcriminatim illuſtres, ac vulgum, populares ac Regales animas, purpuratos & vili ſemitectam ſegmento plebem, nullarum, & omnium bonarum Artium promos condos, furente ſuccidit falce, ac compede fatali vinctos, nec non captiuos ad ſubterraneos ſpecus deturbauit. MARS quidem in acie vibrabat gladios; MORS in buſtis expediebat ligones: MARS puluerem nitratum hoſtibus; MORS funalia vitâ functis incendebat: MARS victrici redimitus lauro claſſica, tibias, tympana, tormenta ſuſcitabat; MORS ferali caput circumdata Cupreſſo altiſſimos triſti lyrarum, ductilium tubarum, campaniq; æris ſonitu promouebat ſingultus. Ibi tubicines, tibicines, tympaniſtæ, libratores Martijs in ludis lætum pæana reſonabant; hîc non niſi Præficæ, Cantores, cæteraq; Muſicorum turba funebres leſſûs triſteſq; Nænias repetebant. Ibi prudentiſſimi ad decertandum cum hoſtibus caſtra deſcribebant metatores: hîc MORTIS tributarij ad conuiuendum vermibus, veſpillones notabant monumenta. Illic

Frena miniſtrabat MARTIS Pauor Armiger.

(hunc enim cum Terrore illius equum ingenioſiſſimi Veritatis arbitri Poëtæ nobis effinxerunt,) iſtic furioſa Apocalypticum ſortita gradarium Libitina cunctam Poloniam,

loniam peragrauit. Illic trabeati in curru triumphali ſummo cum applauſu Vrbes, ac Vrbium capitolia ingrediebantur Victores: iſtic pullati homunciones in lecto ferali, maximo cum luctu ad ima Parentis Magnæ viſcera mortalium cadauera deducebant. Atq; in hoc, tantoq; MARTIS & MORTIS ſpectaculo plura, quæ MORS ad ſpectandum proponebat, nobis modò veniunt cogitanda. MARS enim tantùm in Ruſſia Viros bellicoſos; MORS verò nedum ibi hos; ſed quoq; per vniuerſum Regnum Poloniæ Polonos omnes ſuos Spectatores & Actores habuit. Nihil illa nuper Regialis dignitatis reuerita Maieſtatem, prudentiæ Oculum, libram iuſtitiæ, ſedem fortitudinis, regulam temperantiæ inuaſit Regiam: ibi primùm Sereniſſimam CÆCILIAM Renatam, alteram Polonis HEDVIGIM natam, Reginam; poſt dulciſſimam Parentum ac Reipub. prolem SIGISMVNDVM CASIMIRVM vix natum Principem; tandem verò Sereniſſimum & Victorioſiſſimum VLADISLAVM IV. Lunæ Otthomanicæ terrorem, fulminis Scythici debellatorem, Aquilæ Moſchouiticæ triumphatorem, leonis Suetici, cui toties horrendas compreſſit fauces, domitorem, Regem Poloniæ ſummo cum gentis Polonæ luctu, non abſq; læſæ Maieſtatis crimine è viuis ſuſtulit; ſceptra confregit, diademata Senatus, populiq; Poloni liberis ſuffragijs impoſita, capite detraxit, comminuit. Nihil verita diras Sacrorum Canonum minas atq; fulmina; cùm plurimos nedum inferioris ſubſellij Myſtas; aſt ipſum Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum D. MATTHIAM Lubinſcium fermè SIMEONEM Sarmaticum primum Principem & Antiſtitem in Regno vitâ

 ſpoliauit,

ſpoliauit, Tiaras Pontificias, Pedumq; Sacrum profanauit. Flocci fecit excelſum, & inuictum robur animi Illuſtriſſimi ac fortiſſimi HIEREMIÆ Ducis in Wiśniowiec, rediuiui in afflicta noſtra Patria Scipionis, dum illum oppreſſit; & quem MARS in acie tam diu pigneratus eſt, MORS cuius bella ſunt ad inſtar mercatus in lecto, ſuo toxico infectum prædata eſt. Hæc clauas Imperatoribus, ſigilla Regni Cancellarijs, conſilia & prudentiam Laticlauijs, arcanorum Regiorum notitiam Secretarijs, Virgas Mareſchalcis, legatis caducea, præfecturas Capitaneis, Equeſtria decora Nobilibus, arma Militibus velut quædam ſpolia ademit, ac vitâ omnium non inuitâ ſpoliauit. Sic igitur vniuerſam penè peruagata Poloniam, illuſtrioribus viris, nobiliſſimis Poloniæ floribus ſucciſis, & abreptis, in ipſam optimarum artium officinam, eruditionis Emporium, Sapientiæ diuerſorium, ſedem doctrinarum, pietatis nidum, virtutum domicilium, Regum filiam, ac Regni totius SCHOLAM GENERALEM irruit. Forſitan diſcendi & in artibus proficiendi inflammatam deſiderio, illam ad Viros doctos diuertiſſe quiſquam arbitrabitur? At omni ſenſu, quo ad ſcientiarum peruenitur faſtigium deſtituta eſt, & ipſo cerebro. Pertæſa fortè interim militiæ in Caſtris, moleſtiarum bellicarum in acie, aulicarum in Regia, ruſticarum in agris, vitam vt tranquillam arriperet, huc deſcendit? Aſt in hac Virtutum, & Literarum palæſtra, graui & aperto labore, multo ſudore, quotidianis vigilijs, aſſiduis contentionibus opus eſt. Ergò fortaſſis, vt ambitioſa vel laureas honoreſq; prenſaret, Academicos; ſibiq; liberum (quod multi Sophiſtæ exoptabant) ad docendum ſterneret aditum; vel fortunâ A-

cademicâ

cademicâ ſuam ſubleuaret inopiam? Atqui eam omnes titulos, ac nomina ſemper contempſiſſe, ſpartam laborioſam cum præiudicio aliorum, vt potè alienam à ſtatione ſua nihili curâſſe, & paupertatem in hoc Muſarum & Gratiarum auguſtiſſimo Sacrario (vbi LABOR SINE FRVCTV, atteſtante in Apocalypſi Sarmatico Demoſthene Orichouio) optimè perſpexiſſe didicimus. Irruit illa huc vt Viros, quà pietate, quà fide, quà ſapientiâ, quà vitæ morumq; integritate conſpicuos, per morbos ſuos fidiſſimos prodromos diuexaret, diuexatos cruciaret, excruciatos debilitaret, debilitatos frangeret, fractos tandem è laborioſis cathedris ad mutos & elingues ſarcophagos; ex amænis Muſæolis ad triſtia Mauſolæa, è conſortio hominum, ad conuictum vermium detruderet atq; deturbaret. Irruit illa huc, vt alios ex cathedris laborioſis ad otium perpetuum deijceret, alios à Muſis canoris, ad Manes amuſos & ſurdos pelleret, alios à pulpitis vocalibus, ſuffocato ſpiritu, vocisq; organis, ad feretrum mutum tacitamq; tumbam demoliretur. Ploramus eheû! nec lachrymas iuſtiſſimo cum mærore continere valemus, ob ereptos his duobus luſtris, ſacrarum literarum Myſtas Sacratiſſimos, Diuini humaniq; iuris moderatores conſultiſſimos, humanæ ſalutis tutores ac conſeruatores expertiſſimos, aliosq; in omni genere ſcientiarum eruditiſſimos, quos è noſtro conſpectu improba hæc rerum omnium depopulatrix, ſubduxit, & ad obſcuras latebras tranſmiſit. Quid ego hîc renouem dolorem conceptum à Magnis in Eccleſia, Repub. & Academia Viris, ob ereptum omni memoria digniſſimum Virum MARTINVM CAMPIVM

 PIVM

PIVM VADOVIVM? quem velut Vnionem Theologorum nobilissimum, Doctorem in resoluendo subtilissimum, in arguendo acutissimum, in docendo vltra annos quinquaginta felicissimum, ac facillimum, feralis inuidit Parca & eripuit. Quid referam animos bonorum mæstos ad memoriam IACOBI PIOTROVICCIJ, morum grauitate, Eruditionis ac Eloquentiæ sacræ gloriâ celeberrimi, iuuentutis ac Magnatum filiorum Præceptoris felicissimi magno omnium desiderio erepti? qui sæuissimo dolore ob ictum pedem excruciatus, vno & quinquaginta annis expletis, in ipso actu rerum benè cedentium, è vinculis corporis ad supernam libertatem euasit. Quid reuocem ALBERTVM BOROVIVM Literarum Antistitem? quem ad Humanitatem, Philosophiam, ac Theologiam profitendam pinatum, discipulorum celebritate florentem, Mystam pietate in DEVM summa, in æde Cathedrali conscientiæ alienæ Iudicem prudentissimum, ac Verbi Diuini præconem disertissimum, in pauperes ac loca pia totius sui peculij effusorem largissimum, maximo cum mærore inopum quarto & septuagesimo ætatis suæ natali, Anima defecit. Quorsum mentio facienda MATTHIÆ BLOSIJ Sac. Theol. Doct. ad S. FLORIANVM Decani? quem, Virum ætate grandæuum, moribus grauem, consuetudinum ACADEMICARVM Patrem obseruantissimum, solitudinis suo æuo cæteris amantiorem, laboris in ACADEMICA statione cultorem tenacissimum, MORS, non alibi quàm in Cathedra, inq; media de Angelis lectione comprehendit, & per Angelos (vt piè credimus) ad illam Patriam, vbi Beati æuo perfruuntur sempiterno, post exa-

ctos

ctos octo & Septuaginta annos, deduxit. Quorsum ad renouandam doloris cicatricem repetendus A D A-M V S O P A T O V I V S Sacr. Theol. Doct. Canon. Cracou: Vir Sanctimoniâ vitæ, eruditioneq; insignis, pauperum alendorum, & vestiendorum ad exemplum memorandus, in omnes meritissimus? qui dum A C A-D E M I A M per quinquaginta annos suis laboribus ita iuuit, vt etiam scriptis varijs, & in S. T H O M A M cōmentarijs editis illustraret, non modicis in E C C L E-S I A & A C A D E M I A laboribus fractus, iustâ ætate annorum septuaginta trium, languens excessit. Recrudescit dolor, & ipsi oculi sponte soluuntur in lachrymas ad memoriam tantorum virorum occasus Quis non defleat J A C O B V M V I T E L I V M Sacr. Theol. Doct. Canon. Cracou. vita immortali dignissimum? quem natura ad omne genus scientiarum, Eruditionis, Linguarum peritiam finxit aptissimum, labor exercuit promptissimum, virtus promouit meritissimum. Quis non lugeat eum? quem D E V S Opt. Max. Studiosorum pauperum & bonorum ingeniorum fautorem benignissimum, Magnatum prolis formandæ in Regno Præceptorem celeberrimum, Oratorij Pietatis, Scholarum priuatarum, earundemq; Professorum Prouisorem ac Promotorem vigilantissimum, Publica disputatione Torunij in expurgando Caluinistico fermento clarissimum, æquitate ac iustitia bono communi fouendo natum R E C T O R E M, Procancellarium, dum laureas alijs conferre pararet, ad lauream immortalitatis anno ætatis suæ Sexagesimo Secundo euocauit. Quis non lachrymetur amisso P A V L O H E R C I O Sacr. Theol. Doct. Canon.

 Cracou.

Cracou. patriâ Curzelouien: Philoſopho ſubtiliſſimo, Theologo ſapientiſsimo, Mathematicarum Artium amantiſſimo & peritiſſimo, Ducalium in Regno Familiarum Sobolis Jnſtructore feliciſſimo, in D. JOANNEM CANTIVM & pietate & liberalitate cultore memorando? Quis exterorum, præcipuè Sileſiorum ac Germanorum non ingemiſcat ſuæ indigentiæ Patrono ac Mæcenate adempto ADAMO DRASKI, linguarum Græcæ, Hebraicæ ac Germanicæ peritiſſimo, antiquitatis amantiſſimo, rerum humanarum, honorum funebralisq; pompæ exquiſitæ contemptore, nec non totius ſui peculij in paûperes Studioſos largiſsimo effuſore? Cui non oborientur lachrymæ ſibi erepto JACOBO PAPENCOVIO VSTIENSE, Sacr. Theol. & I. V. Doct. Romæ iuris publicè docēdi Soli Academiæ Cracou. conceſsi accurato defenſore, & Curſus Vladiſlauiani primo prælectore? Quem non afficiet caſus ANDREÆ LIPNICIJ Tyliciani Oratoris, ac Verbi Diuini præconis, qui cùm S. Spiritus laudes è ſuggeſtu ſpiraret, vegetus & immaturus media in concione exſpirauit. A quo non excutient lachrymas obitus, SIGISMVNDI GREGEROVICIJ, S.T.D. ANDREÆ BIAŁKOWSCIJ, RAYMVNDI ALBERTI STRAZYCIJ, MATTHIÆ MAZVRCOVICIJ, cæterorumq; in omni genere facultatum Virorum doctiſſimorum, hac inſigni & calamitoſâ clade ſummo cum mœrore extinctorum. Luget lugebitq; VNIVERSITAS noſtra Virum, meritorum plenum JACOBVM NAYMANOVICIVM

Vtr.

Vtr. Iur. Doct. Canon. Crac. famâ toti Poloniæ notum, ſedecies RECTOREM apud omnem Poſteritatem memorandum; cuius dexteritate, ingenio, & animo, extremo quodam ſuo diſcrimine liberata refloreſcit. Quæret & queretur DD. Iuriſperitorum Collegium amiſſos Iureconſultorũ conſultiſsimos. Illum STANISLAVM PVDŁOVIVM Vtr. Iur. Doct. & P. S. NICOLAI Præpoſitum, Latinis, Græcis, Mathematicis diſciplinis egregiè excultum, probitate, prudentiâ, & ſolertiâ ingenij, magnâ conſtantiâ, ac labore maximo, magnis Principibus agendi, & conſulendi dexteritate valde quàm gratum, & carum, binâ legatione ad Sedem Apoſtolicam pro ACADEMIA & EPISCOPO Cracou. *illuſtrem*, ah immaturâ morte, magno Literatorum *luctu* ac deſiderio ereptum queretur! Jllos Pontificij & Cæſarei Iuris Doctores, ac expoſitores, STANISLAVM CZAPLICIVM, JACOBVM GORSCIVM, Canon. Crac. MATTHIAM BVRSZEVICIVM, STANISLAVM ROZICCIVM, ac tandem nudius tertius LAVRENTIVM, ALPHONSVM KARYNSCIVM, Vtr. Iur. Doct. & Canon. Cracou. ereptos iuſtiſsimè conqueretur. Lachrymabitur & multoties illachrymabitur tota Polonia hoc præſertim tempore, quo ſuum peſtiferum virus furens exerit Parca, amiſsis, JNNOCENTIO PETRICIO, Tacito Polono, ANDREA WOLFOVICIO, Regno huic & doctiſsimis Italiæ Æſculapijs clariſsimo, LAVRENTIO SMIESZKOVICIO, Eruditorum ocel-

lo, ac omnis puræ Elegantiæ Parente, & ob domicilium in populares magnis ſumptibus erectum Mæcenate memorando, MATTHIA WOINSCIO, JOANNE MITKOVIO, PAVLO MANKIEVICIO, Philoſophis & Medicis expertiſsimis, Camænarum, ac Virorum in Repub. Magnorum corculis, quorum inclyto Cineri, ne Heraclitus quidem vnquam debitas perſoluet lachrymas. O ſæuiſſimam MORTEM! pluſquam Tarquinianam Tyrannidem in Viros Literatos exercentem! Theologus alta ſpeculetur, vanam præſumptionem eſſe per Te diſcet. Legum peritus in Tribunalibus faſces verſari aſſuetus Tibi ſubmittet; nullisq; exceptionibus, comperendinationibus, vadimonijs, eluſionibus, gloſſis, interpretationibus, legibus Tibi reſiſtet. Medicus alibi expertiſſimus ob merum, mixtumq; in Reges & Dynaſtas imperium elatus caput inclinabit, inexpertum ſe fatebitur, ac coactus clamabit.

Contra vim Mortis, non eſt medicamen in hortis.

Fidat Logicus captioſis ratiunculis, inſoleſcat argumentandi argutiâ, compellat multos ad inſcitiæ Confeſſionem, Tuorum elenchorum inſcius ad incitas, & ſaccum redactus, dicet

Linquo coax ranis, cras coruis vanaq; vanis,
Ad Logicam pergo, quæ Mortis non timet Ergo.

Ampullarijs verborum imaginibus, & ad fucum compoſitis orationis coloribus deſudet Orator, omnia à cæteris impetret, à Te nihil impetrare valere ſe certiſſimo

fatebi-

fatebitur. Logiſta Stellarum, arenarum, & puluiſculorum colligat multitudinem, ſuorum dierum numerum à Te impeditus non colliget. Quantitatem ſyllabarum longam metiatur Poëta, moloſſos, ſpondæos, diſpondæos vitæ ſuæ imaginetur; choræos, trybrachos, proceleuſmaticos, vel nullos ſui nominis H O M O, & ominis recognoſcet. Grammaticus Te declinabilem in Scholis doceat, indeclinabilem in fatali lecto Te experietur. illudq́; occinet

Grammaticam multos didici, docuiq́, per annos,
Declinare tamen non potui, Moritur.

Vtinam vel illis ſatis amplis, quos aula comebat, campus fortiore ſuſtentabat ſtipendio, vel his quos Academia ornabat contenta ſpolijs, M O R S improba fuiſſet: hunc, cuius mæſti Anniuerſariæ Exequiarum pompæ adſumùs, anni præterlapſi curriculo, de vtraq́; Repub. Ciuem optimè meritum M. I O A N E M B R O S C I V M, Sac. Theol. & Medic. Doctorem & Profeſſorem, Can. Cracouien. è medio complexuq́; noſtro non eripuiſſet, minori damno Vniuerſam Rempub. Literariam affeciſſet. Nunc verò tantò maiore omnes nos mœrore, quantò magis inter Viros Literatos excelluit, compleuit. Vt enim Regina florum R O S A, quàm ille pro inſigni geſtauit, omnes alios flores odore, candoreq́; longè præcellit; ita ille ſui ſæculi Pòëtas ingenioſiſſimos, Oratores diſertiſſimos, Philoſophos acutiſſimos, Mathematicos perfectiſſimos, Medicos probatiſſimos. Iureconſultos conſultiſſimos, Theologos profundiſſiimos, ſi non ſuperauit certè adæquauit, &

quæ alij ſinguli ſingula habuerunt, hoc ille totum aſſecutus: adeò vt Encyclopædiam omnium Scientiarum, (niſi hoſtis perſonæ vel ignarus ſis) quandam in eo fuiſſe dixeris. Vt primùm enim Curelouiæ Mathematicorum & Medicorum parente feraciſſima, poſt mille quingentos quarto ſeptuageſimo lucem hanc aſpexit ſuauiſſimam, vix primam lanuginem, & puerilem abiecit balbutiem, ſe Muſarum ſacris addixit; & iactis primùm humaniorum Literarum in Patria fundamentis, Cracouïam ſedem Elegantiæ, Literarum Domicilium, Muſæum Orbis Sarmatici Anno 1603. ſe ſe contulit. Hîcque vt eò diligentius ſub vexillis doctiſſimæ Palladis, contra ignorantiam mereretur ſtipendia, Clariſſimo Viro tunc exactæ Virtutis & Doctrinæ ALBERTO BOROVIO, ſe ſuaq; ſtudia ſubiecit: deinde ſuaſu & opera Clariſſimi Doctoris STANISLAI Curzelouień. ſui popularis, Mathematïcis ſtudijs ſe totum deuouit: ac tandem velut miles ſtrenuus primâ in Philoſophia laureâ inſignitus Anno 1605. Sic ſpatioſum aſſecutus campum, in quo Virtus eius magis poſſet decurrere, Mathematicas aliquot lectiones prælegit, pubem Polonam erudijt; ac poſtea Artium Magiſter & Philoſophiæ Doctor, in ampliſſima Eruditiſsimorum Virorum Corona, ſolenni ritu Anno Dñi, 1610. eſt renunciatus. Publici igitur in SCHOLA Regni GENERALI Profeſſoris, ſpartam nactus IOANNES BROSCIVS, varios Auctores euoluendos, & interpretandos aggreditur; iuuentutem Nobilem conuocat, Scholam aperit, Cathedram conſcendit, mirus in omni Scientiarum genere erudiendæ pubis Artifex efficitur.

tur. Miſſis autem Grammatices Rudimentis, in quibus ille optimè verſatus extitit in arte Poëtica ita ſe geſſit ſtrenuè, vt vel quos veteres ſcripsêre tragædiarum cothurnos, comædiarum ſoccos, Heröici carminis grauitatem, Lyricorum iucunditatem, Elegorum delicias, Iamborum amaritudinem, Epigrammatum luſum intelligere, explicare, caſtigare; vel ipſe plurima facilè fingere & effingere Græcè, Latinèq; exprimere valuerit. Teſtes ſunt publicam in lucem edita huiuſce rei monumenta. Teſtes SEPTEM ad VRBANVM VIII. Pontificem Maximum SIDERA: Teſtes ad SERENISSIMOS SIGISMVNDVM III. VLADISLAVM IV. Reges Poloniarum Inuictiſsimos; ad JLLVSTRISSIMOS GEMBICIVM Gneſneń. SZYSKOVIVM, ZADZICIVM, Cracouień. Antiſtites; ad IOANNEM VASTOVIVM, (qui Varmiæ libros ſibi recluſerat, Bonus Copernici vt Magni labor eſſet patens) Canonicum Varmień; ad alioſq; Sapientiſsimos & Illuſtres tàm Noſtrates, quàm Exteros Viros, varia ac multiplicicia illius poëmata. In Marci verò Tullij Palæſtrâ, quantùm excelluerit, ſatis Senatus Academicus probauit & approbauit tum; cùm Magni Oratoris TYLICIJ Oratorem (qui non quibusq; ſed in Eloquentia exercitatiſsimis defertur prælegendus) ab illo publicè prælegi voluit atq; deſignauit. Quid ego hîc Philoſophicas Mathematicasq; diſciplinas commemorem? in quibus per totum vitæ ſuæ curriculum verſatus penè nihil aliud niſi Philoſophiam ac Matheſim meditatus, nil etiam poſt fata ſua tanto in pretio magis haberi voluit atq; ordinauit. Legit præſens ætas Mathematici ac Philoſophici ipſius Studij multa opera: reuol-

uit Integrorum Arithmeticam, ſine inſtrumentis diſtantiarum Geodæſiam, de Numeris Perfectis tractatum. Problemata Geometrica & Arithmetica plurima: Locos antiquorum Scriptorum innumeros partim explicatos, partim correctos, partim Geometricè & Arithmeticè deductos & probatos. Leget & releget alia plurima, quibus Nouatores planam & ſanam doctrinam Auctorum, ac receptam ab Eccleſiâ Catholicâ conuellentes, & opinionibus viam ſectis inter ſe diſſectis innumeris ſternentes, nec non certitudinem ſciendi tollentes, refutauit. Teritur iam & teretur manibus cum ſummo totius Scholæ Peripateticæ oblectamento contra PETRVM RAMVM, pro Philoſophorum & Mathematicorum Principibus, Euclide ac Ariſtotele, alijsq́;, Jnclytæ Scientiarum Vniuerſitati & Academiarum omnium fæcundæ Matri ACADEMIÆ PARISIENSI, eo anno, quo ipſe Mortuus, Typis nata, conſecrata APOLOGIA. Diuino ſanè conſilio, ne totus moreretur.

Multaq́; pars ſui Vitaret Libitinam.

hoc opus in ſummum Reipub. Literariæ emolumentum Lectores præmiſſum iudicabunt; ad aliaq́; plurima poſt ſua fata edenda animos præparabunt. Nec in his tantùm fixit pedem noſter IOANNES BROSCIVS. Verùm cùm artes communi quodam vinculo coniunctas eſſe, & vni fonti Muſas (vt Antiquitas cenſuit) aſſidere, arbitraretur; omnium Artium, Philoſophiæ, Mathematum, & Linguæ Græcæ munitus præſidijs, in Galeni Hippocratisq́; hortos GEMBICIANÆ Liberalitatis obuolutus FASCIA deſcendit. Vbi non curſim, vel perfunctoriè (quod multi leues absq́; fructu ſuo faciunt) hanc vel illam

herbam,

herbam decerpit, ſed quæ natura cuiusq; aut virtus ſit, doctiſſimos Æſculapios conſulit, Apollinis oracula perquirit & obſeruat, arcana tandem artis Apollineæ, laureamq; Eruditorum, Patauij in celeberrima Medicinæ Sede, Virorum Suffragijs, & ſuâ eruditione conſequitur. Reuerſus in Patriam, campum probandæ ſuæ virtutis & doctrinæ nactus Aulam Illuſtriſſimi MARTINI SZYSKOVIJ Epiſc. Cracouień. illucque ingreſſus, Iatrum prudentiſſimum egit; tantò maiori felicitate, atq; gloriâ Supremi Numinis auxilio; quantò eius ſucceſſus Sol ſemper vidit optimos; errores tellus nunquam operuit lamentandos. Commoratus aliquantùm in Aula Principis dum eſſet, Muſæ canunt receptui; & vt AVLÆ Principis VALE; ACADEMIÆ. SALVE diceret ſolicitant. Annuit ille, reuertitur, inter meritorios Collegas adſciſcitur, ab imis per variarum Facultatum Profeſſiones, ad ſupremas graditur; tandem ad ſumma Theologicæ Profeſſionis peruenit faſtigia. Vidiſſes tunc illum, inter Academici Senatus Patres Stoicam auſteritatem, Catonianam grauitatem toto corpore ſpirantes, in ſua ſtatione Theologica fortiter argumentorum tela, contra ſe vibrata, retundentem; Achilles firmiſſimos frangentem; nodos difficultatum, pluſquàm Gordios non Alexandrino gladio, ſed magnæ mentis genuino iudicio reſcindentem. Vidiſſes Sacræ Theologiæ abdita reſerantem apertiſſimè, pugnantia conciliantem ſuauiſſimè, obſcura explicantem facillimè, dubia diſſoluentem ſufficientiſſimè cognouiſſes. Siue enim aliquid è reconditis Linguæ Sacræ fontibus petendum eſſet; in eo verſatus optimè erat: ſiue è concordi Do-

ctorum sanctorumq; Patrum Senatusconsulto trahendum, non ignorauit: siue è ruderibus Antiquitatis longâ obliuione consepultis, in lucem posteritatis educendum, profundâ indagine rimatus est. Neque verò magis in Academia propter literatos quàm in Ecclesia propter rudiores Theologus esse voluit. Cùm enim non tantùm Corporum; verùm etiam Animarum humanarum esset Medicus, Medireceń. in Diœcesi Luceoriensi Parochiam per Illustrissimum IOANNEM TECZYNIVM Palatinum, Cracouień. Virorum suæ Domus Perantiquæ (heu Fata inuida) vltimum oblatam sibi suscepit. In qua plurimùm, fermè sedecim annis ad DEI Opt. Max. Gloriam, augmentum Ecclesiæ, Diœcesis illius emolumentum, Cleri totius ædificationem, desudauit. Sensit Ecclesia legum suarum, ac iurium Patronum, defensoremq; acerrimum: Audiuit Sacra Synodus Verbi Diuini præconem feruentissimum: vidit Clerus Mystam Diuinorum Officiorum obseruantissimum. Non ille saluti propriæ sumptibusq; pepercit, vt amplificaret Ecclesiam: non labori cessit; vt amplissima per se Diœcesis caperet incrementa: non conspectum hominum refugit, vt omnibus doctrinæ, virtutum, vitæ exemplo velut in theatro præluceret. Animaduertis Tu ILLVSTRISSIME PRÆSVL Luceorień. & non sine doloris sensu multoties commemoras; quem, & qualem Pastorem gregis DOMINICI in Ecclesia, Doctorem in Cathedra, amiseris. Amisisti autem vigilantissimum, prudentissimum, Tuiq; ipsius amantissimum Sacerdotem. Qui vt ad Ouile CHRISTI Oues superstitionibus Græco-

rum

rum infatuatas, & faucibus luporum ereptas, reducerct; Synodali, Tuoq; iuſſu, binas Apologias contra Antiqui Calendarij errores edidit: quarum alteram ex Sacroſanctis Patrum Concilijs, & conſilijs; alteram ex Sacris Biblijs deduxit ſapientiſſimè & probauit. Porrò dum hæc ageret pro Eccleſia in Diœceſi Luceorienſi, in Academia quoq; pro honore literario, vergente iam ætate ſua ad decliuium labores Theologicos reaſſumit, pro loco Doctorali diſputat; Doctoratus Sac. Theol. Laureâ, inſignibusq;, ad Sacros BEATI CANTIJ Cineres, ab Jlluſtriſſimo & Reuerendiſſimo PETRO GEMBICKI ACADEMIÆ CANCELLARIO, iuxta præſcriptum Legum, Statutorumq; Academicorum, in publico Ciuium bonarum Artium Conuentu, donatur: Perauguſto Prælatorum, Canonicorumq; Collegio, Pontificum Seminario adſcribitur. Hi ſunt igitur eius in artibus ſcientijsq; progreſſus: hi in Eccleſiæ, Academiæq; Honoribus ſucceſſus, Quibus ille non ad inanis faſtum gloriæ, ob nimium luxum; nec ad ſui Suorumq; vilipendium, ob futurorum prouidam parſimoniam, ſed ad laudem Diuinam, ACADEMIÆ ornamentum, Proximique vſus eſt ſubſidium. Omnes ſiquidem ſuæ fortunæ prouentus laborioſè, iuſtèq; acquiſitos in Eccleſiam, Academiam, à quibus eoſdem hauſerat, refudit, copioſè. Sentit hactenus, ſentietq; diutiſſimè ſuauiſſimos BROSCIANÆ liberalitatis odores Curelouień, ECCLESIÆ; cui non ſuperſtitioſo Antiquorum more, ſed Religioſo Chriſtianorum ritu, ante Viuentis & cuncta Videntis DEI conſpectum, ignes perpetuò arſuros; ROSARIVM de Sacratiſſimo CHRISTI CORPORE decantandum; SCHOLASTICVM, Scholæ RE-

CTOREM, ac Libros munificentissimè prouidit. Gaudet gaudebitq; Medirecensis ECCLESIA se bonis ab eo emptis cumulatam, candelabris argenteis ornatam, cæteraq; supellectili dotatam. Dolet dolebitq; Stasouiensis BASILICA, sibi sublatum munificentissimum Restauratorem, ac dotatorem liberalissimum. Grata commemorabit munificentiam ACADEMIA BROSCIANAM, cuius rebus fortunisq; accisis prudentissimè consuluit, dum Census à quindecim millenarijs Mensæ communi sui, quod inhabitabat Collegij partem vnam, alteram pro futura (dum DEVS voluerit) publica in numerum Sanctorum D. Patris IOANNIS CANTIJ relatione, adscripsit; hac verò peracta totum Censum ad Mensam redire voluit, & ordinauit. Atq; vt Academiæ, suumq; Nomen, ob Mathematicas disciplinas, quibus semper floruit, in tota Europa redderet celeberrimum, Astrologi Professionem laboriosam, Censu à tribus millenarijs, & Bibliothecâ selectissimâ, necnon instrumentis exquisitissimis recreauit. Viget vigebitq; odor Memoriæ BROSCIANÆ suauissimus, quousq; Res ACADEMICA Polonaq; stabit: neq; hic solùm laudum & grati animi, in terris, sed etiam in cœlis, prœmia beatitudinis dignissima reportabit. Ita enim vitæ suæ cursum sub SOLE IVSTITIÆ CHRISTO direxit, vt memor sui Stemmatis honestis & candidis virtutibus & operibus adhæreret, turpibus exitio esset: Ita Mathematis animum suum applicuit, vt præ oculis haberet pro CIRCINO, RATIONEM, pro REGVLA, LEGEM DIVINAM, pro DISCO TERRÆ à Sole illuminato, GRATIAM DEI, pro VMBRA LVNÆ, PECCATA propria, pro PENVMBRA, de peccatis alienis

partici-

participationem. Ita in sua statione se gessit in cunctos, vt boni illius ROSAS caperent, mali verò Spinas cauerent. Ac quemadmodum ROSIS innata & latens vis est sibi animos Principum conciliandi, & Scarabæos exanimandi, Pierio teste: Sic ille Rosarum suarum obtinuit virtute, vbiq; locorum diffusâ; vt propinqui eum colerent, hostes timerent, exteri cognitione, hospitio, literis dignum existimarent, præsertim FRANCISCVS BARBERINVS S. R. E. Cardinalis Eminentissimus, ipsiusq; Patruus VRBANVS VIII. Sanctissimus: Serenissimi REGES SIGISMVNDVS III. & VLADISLAVS IV. nec non Principes in ECCLESIA ac Republ. Polona Viri GEMBICIJ, TECZYNIJ, OPALINSCIJ, SZYSZKOVIJ, DANIŁOVICIJ, amicitiâ, fauore, consortio, præmijs donarent; Vniuersitas Cracouień. suum semper repeteret, vendicaret. Sic igitur annorum, fauorum, meritorum, ac præcipuè virtutum plenus, vltimo vigore Diuinorum refectus, velut ROSA matura decidit, ECCLESIÆ mærorem, Amicis luctum, Musis planctum reliquit. Ergò

Dum cunctos TVBA suscitet sonora:
Da tunc CHRISTE Sibi Diem Serenum.

DE ROSIS BROSCIANIS,
Nouem Musarum, & Trium Charitum Vladislauianarum Planctus.

I.

VT ROSA *præcipiti semper subiecta Procellæ:*
Eius sic Fato subdita vita fuit.

II.

Vt ROSA *pungentes spinas enascitur inter:*
Ærumnas inter, sic fuit ille satus.

III.

Vt ROSA *purpurei speciem candoris adumbrat:*
Pectore sic cunctis candidus ille fuit.

IV.

Vt ROSA *nectareos latè diffundit odores:*
Orbi sic eius gloria nota manet.

V.

Vt ROSA *multiplici folio redimita nitescit:*
Hic præstans multâ sic probitate fuit.

VI.

Vt ROSA *multorum fertur Medicina salutis:*
Sic hominum multis hic Medicina fuit.

VII.

Vt ROSA *consueuit speciem præferre rotundam:*
Suadæ sic numeris ille rotundus erat.

VIII.

Vt ROSA *censetur fieri* ὀφθαλμίδιον ἀνθῶν.
Jdem sic doctos inter ocellus erat.

IX.

Vt ROSA *Sole cadente, cadit nascente virescit:*
Jlle calore suo sic recedente cadit.

I.

Annua Vota cui MORTIS repetuntur, amatus
A Barberino BROSCIVS iste fuit.
Quaeris cur? vtrumq; docent Insignia: gessit
Barberinus APES BROSCIVS ecce ROSAS.

II.

Functus in Autumno fatis est BROSCIVS: Eccur?
Autumni spoliant tempora flore ROSAS.
Et quia Stemma ROSAS referebat BROSCIVS; illâ
Quâ flos parte perit temporis, ipse cadit.

III.

Dum foliis viduat pallens arbusta Nouember:
BROSCIVS en Animâ tunc viduatus obit.
Cur? Quia MORS gelidae similis per cuncta Nouembri:
Illa rapit vitam, sed rapit iste ROSAS.

IV.

Tempore Diua Parens quo praesentata: IOANNES
BROSCIVS hoc, dirâ MORTE peremptus obit.
Scilicet illa Sacris se praesentauit; at iste
Se sistit Superis, fert Animamq; DEO.

I.

Vt bene transigeret vitam, bene pectore fixa:
O HOMO! complexus verba; MEMENTO MORI.

II.

Vt rectè (DOMVI DISPONE TVÆ geminabat:)
Splendida dispositus semper ad astra foret.

III.

Vt se Mortalem cognosceret, haec memorabat:
Puluis es, & terrae, in puluerem abibis HOMO.

 Perillustri

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. JVSTO SŁOWIKOWSKI, Sac. Th. & Vtr. Iur. Doct. Canonico & Archipresbytero Crac: Archidiacono Zauichosten: S. R. M. SECRETARIO,

JLLVSTRISSIMI & REVEREN: Dñi,

D. PETRI GEMBICKI, EPISCOPI CRAC: &c. Causarum Auditori.

&

Excellentißimo & Admodum Reuerendo Domino,

D. ADAMO MŁYNKOWIC, Art. & Philosop. Doct. & Profess. Collegæ Maiori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Decano, Parocho Zielonec. &c.

Dominis, Dominis. Executoribus.

Qui BROSCIANIS annua floribus
Heû! iusta MORTIS soluitis inclyta.
Vos consequetur laus, ad ipsa
Flammigero vehet astra curru
Vos Fama. Vestros astrigeri Domus
Luctus Tonantis, tristia percipit
Et vota, tristes næniasque
Audijt, ac elegos. Peracti
Decessit (heû!) fax, gloria seculi
Et Phœbi ocellus, delicium nouem
Ingens Sororum, dulcis atq;
Gloria Pieridum, decusque
Cui tulêrunt plurima Cœlites:
Cui dedêrunt omnia Gratiæ
Scientiarum dona censu
Diuite, MORS rapuit. Iocosæ
Lugete Musæ tundite pectora,
Et cuncta Craci Numina GymnasI
Lugete, Planctus, tuquefunde
Auriuagæ dominator Aulæ
APOLLO, Magni Præsulis Inclyte

O SLO-

O SLOVIKOVI, Principis Arbiter
Quàm IVSTE, iustè iusta soluis,
Annua, Funereoque iustos
Manes Cupresso contegis, O Pia
Sunt ossa tantum quæ sibi Funeris
Sortita IVSTVM: Cui renident
Palladijs redimita Sertis
Phœbique Lauru tempora: Quem Sacra
Ornat facultas cuique Themis suum:
Pectus reclusit, vel recluso
In gremio fouet Alma iusti
Astræa Præses. Te sapientia
Vauellianis constituit iugis.
Virtusque, Te Sacri Senatus
Trina Patrum decorat Corona.
MLYNKOWIANIS Musa laboribus
Insiste, curas promito Pectine
Graues, molestiasq; pande
Funereis resonare sistris
Qui fata iussit. Vertice Porticus
Huic Stagyræus nutat, & omnium
Phœbi Dearum, Phœbus ipse
Quem lepidum comitatur agmen.
O eruditi Lumina seculi
Laus vestra curret celsa per æthera.
Qui protulistis BROSCIANAS
Sponte ROSAS gelido TRIONI.

Ad Roso-mastigen.

DIfficilè est placere cunctis, nec autem desiderandum vniuersis; maximè verò ijs; qui antequam aliquid legerint, iudicium ferrè; & antequam omnia reuoluerint, soliti sunt condemnare.

Christoph. Wársau. Can. Crac.



Sub Fœlicibus auſpicijs,
Clariſsimi Domini, Dni.
GABRIELIS Ochocki,
Medicinæ Doctoris, Pro-
conſul: Cracouienſis, &c.
Vniuerſitatis Cracouien:
Vigilantiſsimi Rectoris.